e-codices

nisi Magnus Pater Patriæ eximia providentia detexisset,
inaudita sua autoritate insanorum audaciam compressisset, sin=
gulari sagacitate iam iam palpitantem remp. roborasset.
Bucephalum Alexander ipsemet quotidie sollicite curavit, atque
ad multorum annorum spatia conservavit, diutiusque conservandum
nisi ad mortem eundem natura postulasset. Ursus incessabiliter
lambendo informes format catulorum artus; Aquila vero
ipsum vitalem spiritum continuo aspectu suis largiri pullis prohibet.
Ardens certe focus nisi assiduo pabulo propagetur, flabellisque
excitetur, propriis consenescit in cineribus. Ea est nimirum industriæ
laboriosæ, et providentiæ in rebus gerendis necessitas, eaque illius
præsentiæ utilitas, quæ omnia cum graviter Monasteriis præsi=
tis incorruptam immortalitatem, ingentem optime de vobis, illisque
sentiendi materiam disseminatis. Annon AA. si coelestium Orbium
moderatores Angeli, sive ut notiori vocabulo utar, spiritus illi assi=
stentes desinerent, quandoque rerum omnium conservatrices, et effect=
rices gyrare machinas, rerum omnium moderatione cum ipsis mode=
ratoribus interituram, in tenebris squalida iacerent omnia, no=
bilissima in terræ visceribus marcescerent metalla, debilitatæ
herbarum vires morbum incurrerent, exangues ægrotarent,
arborum rami pictam florum gravilitate penitus emori,
vitalem vim, sensu, vitaque prædita deperdere, Hominis ipsius
vitam inter ancipites periculorum scopulos ærumnosissime
iactari contigeret? Vestras ego facies Rmi. Abbates, liceat
dicere, quasi Angelorum facies intueor, certe si non felicitate,
saltem agendi munere non dissimiles, cum enim illi coelos
movere dicantur, illosque motu magnum Orbi præstare bene=
ficium, cum et animam eidem tribuere credantur, Vos sane

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%2088r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%2088r)